To Dr Ogilvie
with the best wishes of
his friend The Author.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA.

4

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE DYSENTERIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES THOMSON,

DUMFRISIENSIS,

SOC. REG. MED. SOC. EXTRAORD.

VIII. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.

Sæpè etenim membris atro languore caducis
Concilium populi labes horrenda diremit.
Ipse Deus memorat dubiæ per tempora Lunæ
Conceptum, talis quem sæpe ruina profudit.

AUL. SERENUS.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT JAC. BALLANTYNE ET SOCII.

1809.

JACOBO GREGORY M. D.

JOANNES THOMSON

S. P. D.

Annos ferè sex hospitio tui tecti feliciter fruitus sum; et unà cum tali hospitio in te exemplar et Scientiae et Virtutis habui.—In te Defensorem et Decus Rei Medicae admiratus sum; et ex te beneficia amicissima accepi.

Horum haudquaquam immemor mecum triumpho et gaudeo hoc modo publicè proferre plurimas quas tibi habeo gratias, meamque admirationem tuarum egregiarium virtutum.

x^{mo} Calend. Julii. M.D.CCC.IX.

JOANNI THOMSON M. D.

OB

PRAECEPTA PRAECEPTORIS

ET

TESTIMONIUM AMICITIAE

CITISSIME OBLATUM

HOC TESSERAM ANIMI GRATISSIMI

VULT ESSE

JOANNES THOMSON.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA.

HOMO silvarum montiumque vagus incola sive languescere otio solitus, sive venationibus operam navare, artem medicam nec curabat nec egebat.—Glandibus pauculis puroque contentus fonte, corporis vitia, quorum erat penitus ignarus, haud alebat; nam morbosam a parentibus haereditatem non accepit, nec ipse posteris vicissim erat eam daturus. Barbarie paulatim exuta, morbi, qui a luxuria et inertia ortus plerumque ducunt suos, pedetentim grassabantur; eoque labentibus annis creverunt, ut etiamnum eos in ordines

et genera redigere possis. Hinc ars medicorum, hinc morborum curatio, quam bifariam hucusque tractavere medentes. Quorum alteri, quum medicamentum cuidam morbo proficiens animadvertissent, idem statim omnibus similiter (ut ineptè opinantur) aegrotantibus adhibent, causis morborum veris prorsus praetermissis. Sed binos modis similiter omnibus aegrotantes videre haud fieri potest. Eo fit, ut, quid sit corporis textum, quidque coelum, quid aetas, sexus et alia plurima in corpore valeant, quae verae ipsius morbi causae, scire sit pernecessarium. Prior igitur experientia, incognitis his quae suprà memoravimus, auxiliis scientiae adjuta nullis, quid agat nesciet; aut si quid facere audebit, aegrum certè in periculum conjiciet, artemque medicam, quae quidem "nec fastibus ullis erigitur, plausuve petit clarescere vulgi," ad summum gloriae fastigium, quo est dignissima, pervenire non sinet. Qui vero aetate habituque aegri caeterisque

ejusmodi neglectis, quibusdam medicamentis quodam in morbo perspectis, cognitisque, iisdem, in unoquoque, quem similem ducunt, tantum quod aliqua signa, forsan et nomina sola eadem sunt, utuntur, ii Empiricos sese appellant.

Alteri viam longè diversam sunt ingressi. Perpaucas enim ex his legibus, quas Natura in corporibus sanandis servat, quum didicerint, si quae ratiocinandi vel philosophandi prae ceteris regulae iis plurimùm arrident, harum trutina tum eas leges examinant, dijudicant, disponunt, et medicinae corpus his ipsis ratiocinandi regulis congruens instituunt, unde proximas, uti vocant, morborum causas conantur constituere. Primum omnium, hypothesin, quae praecipua phaenomena potest explicare, fingunt, quâ reliqua explicent, cuncta sua ingenia applicant et exercent. Quae vero illorum hypothesi non respondent, vel planè repugnant, haec silentio callidè praetereunt, et non-

nunquam ex toto negant. Nullam curam, nullumque laborem impendunt, ut documenta indubia, quae has causas, ab iis memoratas, verè extitisse ostentant, rimentur et proferant; ast eas extitisse pro vero sumunt, indeque quaecunque signa aut indicia appareant, ea suis regulis legibusque vel explicant vel explicare moliuntur. Inde fuit, ut τὸ ὄργανον Aristotelis, ut placita Academica, ut dogmata Stoïca et aliorum philosophorum, qui inde usque floruerunt, non tantum ad medicinæ corpus constituendum inutilia fuere, verum etiam, quod magis deflendum, fuerunt semperque erunt, noxia. Chemia ipsa, Mathesis atque Philosophia Neutoniana imperitè et incuriosè applicata ad eosdem perducunt exitus. Rem medicam contemptui praebent haec, quia eam philosophiae a natura longè abhorrenti subnectunt et intertexunt. Si quis historiam certam et morborum philosophiam condere optaverit, necesse erit ut idem, quod Baco

invenit et Neuton tam feliciter illustravit assiduè iter carpat.—Hoc pacto progrediendum erit. Quae unquam in notitiam, quae dubia nemini debent esse, venerunt, haec undequaque quam amplissimè colligat, eademque ritè disponat, et accuratam per complexionem ad axiomata, quae Natura talibus in morbis sequitur, perveniet. Haec esse necessaria censemus, quae morbos notent, et quae indicent, quid valeant medicamina, quid in corpore humano efficiant. Haec Morborum Historiam vocamus. Ast Philosophiam Morborum, Proximarum scientiam causarum, morborum formas, rationemque quâ medicamenta hominûm in corporibus operentur, investigatu multò difficiliora ducimus. Haec investigatio quodammodo pernecessaria est, cujus sine cognitione inter Scientias non merebitur adnumerari Medicina. Si quid ita ratiocinando concluditur, inter axiomata censeri non debet, donec id verum certumque esse probaveris.

Quamdiu in dubio fuerit, quasi quod quaeri oportebit, aut quod axioma fore praesensimus, ob oculos habere positum debemus. Quod si axiomata sic consequaris, his rectè dispositis, per complexionem vel deductionem ad alia pervenire possis, quae altiora et longè plura complectuntur. Animus, qui aliis aliud convenientia, inque vicem discrepantia promptè percipiat, qui perfacilè futura praesagiat et axiomata conjectet perficiatque, is praeclarum Medicum reddet, eundemque Medicorum principem faciet. Qui contrà, quomodo res inter se differant, quomodo conveniant, sagaciter discernat, et inductione accuratiore de integro institutâ, anticipationes et conjecturas suas corrigere et emendare valeat, is denique Medicum cautum et solertem praestabit.

Qui a principiis generalibus ad individua progreditur, methodum docenti aptiorem et accomodatiorem sequitur; qui vero rei vult medicae proficere, ut ab individuis ad gene-

ralia principia surgat, necesse sine dubio erit. Talis institutio adhuc intentata est. Fateor equidem non mediocrem observationum Medicorum nobis esse silvam, ex qua Historiam Morborum contexere queamus; attamen tam indigesta, tam incuriosè tradita est, saepiusque adeo perversa, obscura et mutata, ut longè major ejus pars parum facere possit, etiamque ei fidere saepissimè nequeas.

Ubi causae proximae, formaeque morborum adeo sunt obstrusae et reconditae ut nullâ eae investigatione inquiri nec adiri possint, tum, ut curatio de axiomatis, ab iis, quae morbos aut leniunt aut praegravant, deductis pendeat, necesse est; vel aliter medico, alia et alia morbi indicia, vi Naturae medicatrici se ipsam exercente, amovenda et excernenda sunt. Et tota illa quidem medicinae practicae portio, cui fidere possumus, talibus pendet principiis; quia proxi-

ma causa unius morbi cujusque, qui interna vitiat, adhuc non satis constat.

Si quis axiomata, quibus morbos in classes redigat, collecta rectèque ordinata velit, ex causarum, quae proximae sunt, parilitate, felicibusque curandirationibus, neque ex aliorum et aliorum symptomatum similitudine pendeant classes, necesse est. Inde fit, ut bini morbi reverà diversi dissimilesque eodem sint nomine saepenumerò insigniti; quales, explicandi gratiâ, Haemorrhagiae, quarum altera sanguinis tenuitate et vasorum laxitate; altera nimiâ sanguinis plenitudine, fibrisque nimium turgidis orta. Proximae causae, morbis antehac attributae, perquam incertae sunt. Ad perpauca tamen capita, hae morbis assignatae omnibus redigi referrique possunt. Uni enim morbo cuique proximam esse causam, quae eundem unicè proritat, producit, manifestum est: quia effectus dispares discordesque eâdem causâ certâ et propriâ ortus ducere suos nequeunt.—Cy-

nanchen hoc anno saevire, Pleuritin altero, tertio Dysenteriam suum exercere furorem, mortalibus ingruere et grassando omnia et praeclara longè latèque vastare, pro certo habemus. Constitutio sanguinis eadem videtur, tamen, ut proximae causae quodam sint pacto diversae, necesse est. Quod si variolae, rubeolae, pertussive, quae causae horum cuique morborum propriae, eundemque ab aliis dignoscant, eas attribuere velis, causa specifica, ut vocant, principium scilicet illud morbum proximè excitans, cur hi semel morbi totam per vitam homines tantùm corripiant, quaerenda et investiganda est.—Simul autem confitendum est has causas, ut visibus in perpetuum humanis intuitum negaverint, adeo absconditas esse. Hinc, harum notitiam exquisitam et introspectam, quò ratio curandi felix constitueretur, non semper pernecessariam esse, rectè judicari potest.

Ad indicia curationis morborum pervenire poterit medicus, si, quam sanandi rationem quolibet in morbo similibusque aegrotantibus Natura consectatur, animadverterit, si accuratè notaverit; si hanc rationem, quantum fieri poterit, imitatus fuerit; si juvantia laedentiaque summis respexerit curis; si corporis partes, earumque usum textumque, si vim medicamentorum, aegrique habitum, et naturam regionis caelique temperiem, pulchrè cognoverit; si denique rerum convenientiam discordiamve quam maximè studuerit.—Hae res omnes copiam indagandi indicia praedicta medico suppeditant, etsi, ut plerumque fit, rationem ignorat, quâ operantur causae, quae eventum optatum eliciunt.

Quantum ad rem medicam promovendam Theoriae (si quis Græcis vocabulis togam induere audeat) inest, haec si expositio, quam obiter attigimus, perbreviter tantùm

inspecta fuerit, cerni potuisset. Historiam Medicinae si recensuerimus, quantum Theoria ei obfuit vel profuit, videndum erit.

> " ——— Subsequitur caecus amor sui
> Et tollens vacuam plus nimio gloria verticem."

Hujus tamen Dissertationis limites longè transgrederer si istiusmodi recensionem ab hujus libelli scopo prorsus alienam facere tentarem ; tamen mecum reputans, quae Medicinae profectus tam variè impedirent, non possum quin longè plurima Theoriae adscribam.—Theoriam equidem nihil aliud quam hypothesin vel conjecturam opinabilem aut verisimilem judico. Quidquid opinabile sit, quidquid conjecturâ pendeat, id Scientiam appellari haud decet. Medicinae quidem, quòd conjecturis verisimilibus tam multùm confisi sunt Medici, infeliciter evênit, ac nescio an plus ex his quam alia Scientia

quaelibet, mali Res Medica acceperit. Prout hominum coetus consociando mitescebant, ut scientia Medicinae, quae ad homines ex vero pertinet, ad perfectionem ex tam multis rebus, industriâve casuve, Hippocraticis etiam temporibus, repertis digestisque, dudum perveniret, nemo est, qui non speret. Hanc praeterea spem, exemplar egregium, quod praebuit Hippocrates ipse, fovebat. Medentes, Naturâ omnium tutissimâ duce penitus neglectâ, sese ex Theoriis, ex hypothesibus, ex conjecturis verisimilibus tantùm dirigebant. Inde Medicina non aucta, non adornata, sed dedecorata fuit. Inde verum Scientiae solium occupaverunt astrologia, mathematica, dogmata alchymica, carmina, gramina Pontica, lapis Philosophorum quidlibet in aurum mutaturus, philtra, medicamenta panchresta, aliaque peculiariter efficacissima. Ísta somnia reverà fuerunt. Etsi a majoribus, quod cognitionis de-

bitum erat, id non accepimus, ab eorum exemplo nobis posteris noceri nequit.—Qui olim fuerunt, eos fortasse irridemus; eosdem ut imitemur vix fieri potest.

Ex Morbis, qui, quam imperfecta sit Ars Medicinalis, pro documentis esse possint, Dysenteriam selegimus. Sive clades innumeras ab eâ patratas, sive symptomata, supra quam cuique credibile est, saeva spectes, qui Medici attentionem vehementiùs alliciat, vix Morbus est alius. Immò, ut istiusmodi monitores ad Morbi perscrutationem multo ante eos adigerent, ut de ejus historiâ, viâque curandi inter se dudum consentirent, sperare licitum est. Nullus tamen morbus mihi notus, de quo tam parùm inter eruditos constat.—Hodie sunt qui ei pyrexiam, pestilentiam ingenitam, tenesmum, torminave esse negant. Rationes medendi innumerae, et, mirabile dictu, saepenumero, discordibus Medicorum sententiis, contrariae fuerunt. Quae quum ita sint, multùm quidem propriis diffisi opibus, hocce ad opus nosmetipsos accinximus.

Dysenteriam appropinquantem praesignificant pyrexia modica, comesque debilitatio. Subindè tamen prius ingruant tormina, quam corpus minimè turbatur. Sive ociùs seriùsve aegrum corripiat, ab alio quovis satis accuratè distinguit debilitas; sapor quidam in ore quasi nauseam ciens; modò vomitio, modò singultus; viscera gravissimis torminibus laborantia; stercus vel retentum vel parcè egestum, et perurget desidendi voluntas. Inter dejectionem corripit tenesmus crucians, et quidquid excernitur, id verò mucosum, spumosum, sanguinolentum, membranaceo alicui commixtum apparet. Morbus ipse ante omnes contagione pestilentus.—Indubia hujus aegrotationis, quae Dysenteria appellatur, haec signa sunt.

Dysenteria, in castris praesertim, confertisque in Nosocomiis vel pestilentissimum per annum, formam magis magisque horrendam haud raro sibi induit. Cibi tunc aversatio,

nausea, vomitio, nisusve vomitandi, subita virium defectio, animi, vel ab initio usque, deliquia, pulsus arteriarum primò justus, at circiter diem tertium aut quartum modò se attollens, modò remittens, interdum penitùs lapsus ; et extremum corpus frigescit. Interdum pulsus calorque solitus paucis ante obitum diebus reversus, sensim rursus evanescit : lingua nigra, arida, aphthisque saepè praesignis ; singultus modò a morbi principio, modò paucis ante mortem horis ; urina nunc suppressa, nunc redditu difficilis, subrubra, flavumque sedimentum, quasi lateritium, deponens ; tenesmus, ani procidentia ; subindè mentis alienatio, dejectiones primùm exiguae, at nimium repetitae, spumosae, glutinosae, strigmentorum plenae, tenesmo verminibusque comitatae, morboque inveterascente, putridae instar carnis foetentes, quarum tunc citiùs faciliùsve contagia laedunt. A morbo ine-

unte speciem a sani dejectionibus longè dissimilem prae se ferre solent. Dysenteriam interdum praecedit Diarrhoea; cutis tactu praecalida, semperque persicca; sitis insignitèr saeva, liquidumque jam nunc haustum quasi statim per intestina fluxurum, imo per anum sine mora egerundum sentit aeger.

Hic Dysenteria aliis ab morbis quibus toties confunditur quam accuratissimè secerni et internosci debet. Horum alius ab alio minus discriminatus mihi unica vel praecipua causa videtur, cur eorundem historiae meritò curationique tantùm diffidimus. Documenta hic dare, quae dicta comprobent nostra stabiliantque, supervacaneum foret. Dysenteriae, exempli gratiâ, incruentae a Guillisio memoratae, quae sanè huic morbo longè alius est, obiter meminisse forsitan sat erit.—Diarrhoea a Dysenteriâ, frequentius opinione, nimis incuriosè seponitur, quae tamen ex contage neque dilatatur neque propagatur; stercus egeritur et eges-

tum symptomatum foetorisque dysenterici expers est; et pyrexia et tenesmus abest.—Quae ratio cunque medendi alteri prodest, alteri sine controversiâ obest.—Inde accurati inter eos necessitas discriminis.

Cholera contagionibus non laedit; eandem tamen comitantur sollicitudines animi edacissimae, virium imminutio; copiosa et sursùm et deorsùm quasi bilis exinanitio, peculiares crurum contractiones, quales *spasmi*. Haec signa, ni fallimur, ad Dysenteriam a Cholerâ distinguendam sat erunt.

Colicam a Dysenteriâ satis discriminant pyrexia nulla, retractio umbilici, alvi duritia, vomitiones tanquam stercoraceae.

Hæmorrhoida a Dysenteriâ satis distinguunt circum anum tubercula, sanguinis ante stercus fluxus, stercusque sanguinem secutum.

Dysenteriam progignunt tempus anni, maligna aeris constitutio, pestilentia loci indigena, vivendi ratio, contagio, habitûs procli-

vitas, nimia alvi purgatio, venena, intestina, intestinisque proxima, morbida. De his sigillatim paullo accuratiùs cogitatiùsque disserendum tamen erit.

Tempus anni hanc pestem saepissimè ciet. Perniciales sunt noctes autumni perfrigidae, praesertim si dies aprici, torridi et quasi spiritum occlusuri praecesserint. Inde Dysenteria castrensis. Etsi vere incipiente ubi primum ad arma vocantur milites, dysenterici perpauci cernuntur; tamen eo tempore non tam frequentes, nec tanto versantur periculo quam ad aestatis finem aut initium autumni, ubi maligniùs afficiuntur aliisque contagione promptiùs nocent. Dysenteria binos circiter menses longè latèque saevit, postea vero desinit. Milites, si in stativis fuerint, vel si magnum post iter in sole humectati sint, post aestates torrentes crudeliùs afficit. Per tempora praeter solitum torrida et humentia et debilitantia frequentiùs apparet; nec *Epidemica*, ut vocatur, hieme ineunte, perpetuò

cessat, quanquam plerumque non apparet. Quod ab Akenside animadversum, hoc ipsum comprobat. Is, ut Dysenteria per annos M.DCC.LX, M.DCC.LXI, et M.DCC.LXII, aeque usitatè Londini et vehementer hieme provectâ grassaretur, ac ineunte autumno non pepercisset, scriptis reliquit suis; huc adjiciens illud vidisse se et notasse.—Ubi aestate praecipite vel incipiente autumno imperium, laxatis froenis, exercere suum, ei saepius fas erat, ibi usitatiùs invenitur; vere etsi novo, interdum fortasse vel maturiùs, si frigori praegelido pruinisque statim successerit sudum calorque, nemini ferè parcat. Maligna aeris constitutio hujus morbi genetrix saepe et merito habetur. Si plurima insecta minutissima per aera huc illuc volitantia conspiciuntur, Dysenteria quam pessima tunc unicè perbacchari videtur; quandocunque ad saeviendum proclivis reperitur, vel sani, si purgatio mitissima mediocriter intestina exstimulaverit, in periculum incurrunt.

Dysenteria, si insalubrem per aerem incipisset, certum coeli tractum, cujus limites vix egreditur, tenere dicitur, montanosque acervatim tunc mactare notatur. Si tamen a subitis coeli mutationibus, initium ceperit, camporum tum valliumque cultores maximè aggreditur. Vernae Dysenteriae, sicut veris Febres, plus inflammationis, minusque putroris, quam autumnales habent; eòque, si fuerint rectè curatae, vix perniciosae fiunt. Dysenteria, cui vis pestilens, symptomata, morbo incipiente, violentiora et perniciosiora, quam cum aliquamdiu duravisset, pluresque infecisset, habere videtur; eandem rationem omnes ferè servant morbi pestilentes. Attamen symptomata, morbo decrescente, graviora nonnunquam maligniùs exhibet. Si quo anno ferè omnes sine discrimine invadit, quaecunque eodem febres appareant, omnibus signis, praeterquam alvi dejectionibus, paucisque symptomatis ab harum irritatione exortis, ei persimiles sunt. Si cui ex Dysente-

riâ per hiemem revocato febricitare contigerit, febre erit gravissimâ correptus. Notavere etiam Medici alium ibi morbum caput tollere suum vix audere, ubi Dysenteria princeps vexabat.

Idem Atheniensi in peste accidisse auctor Thucydides est; suis ipsius verbis lubentissimé utar. Τὸ μὲν γαρ ἔτος ὡς ὡμολογεῖτο, ἐκ πάντων μάλιϛα δὴ ἐκεῖνο ανόσον ἐς τὰς ἄλλας ἀσθενείας ἐτύγχανεν ὄν· ἐι δέ τις καὶ προέκαμνέ τι, ἐς τοῦτο πάντα ἀπεκρίθη. Huc paullo post adjiciens,—Τὸ μὲν οὖν νόσημα,—πολλὰ καὶ ἄλλα παραλιπόντι ἀτοπίας, ὡς ἑκαστω ἐτὺγχανέ τι διαφερόντως ἑτέρῳ πρὸς ἕτερον γιγνόμενον,—τοιοῦτον ἦν ἐπίπαν τὴν ἰδεαν. καὶ ἄλλο παρελύπει, κατ᾽ ἐκεῖνον τόν χρόνον, ὀυδὲν τῶν ἐιωθότων· ὃ δὲ καὶ γένοιτο, ἐς τοῦτο ἐτελεύτα.

Indigena loci insalubritas, id sic nomino, (quis enim verbis Plinianis abstinet uti?) propria Dysenteriae causa saepissimè est. Quanto calidior sit regio, tanto frequentior et perniciosior Dysenteria est; ideoque Ægyptos, Indos, Arabasque saepissimè corripere di-

citur. Ubi vero cunque indigena est, deinde citiùs peregrinantes quam incolas ibi natos afficit.

Contagio cunctas ante causas, quas scio, procul dubio saepiùs Dysenteriam generat. Cujus gradus tam exactè vestigare non nunquam possumus, ut unde orta sit, vel vicum, vel domum, vel interdum hominem ipsum, quasi digito monstrare nihil difficultatis esset. Quomodo hunc in morbum is primus incidat, ne medici quidem divinare valent. Nec aera id vitium, nec victum, annive tempus elicere, nedum progignere, suspicatui habent. Qui contagionis vim Dysenteriae inesse negat, is mihi aequè ineptè agere videtur, ac stultus, qui, contagionibus Typhum laedere suis, negare audeat. Vis nocendi vestibus circumfertur; a stercore tamen praecipuè propagatur. Aegri odos perniciosus, halitus oris perniciosior, stercusque omnium perniciocissimum. Interdum nemo, nisi cui prior ad morbum proclivitas fuit, eâ laborat. In castris

navibusque longis, ubi ad propagandam Dysenteriam manifesta causa, contagio eam per se saepenumerò concitat. Aer ibi nihil aliud quam pestilentiam portantis vicem agit.

Constitutio corporis peculiaris Dysenteriae favere dicitur. Hypochondriaci et Hystericae, validam praesertim post purgationem, in eam facilè incidunt. *Scorbuticos* pauperesque, qui impuro ex aere, illuvie, deteriore victu, putrescentes ad morbos procliviores sunt, ante alios infestat. Dysenteria pestilens, quae *epidemica* vulgò appellatur, in cunctos sine discrimine ingruit; mulieres, sive gestant seu sterilescant, puerulosque lactentes, etiamsi matres praevaleant, victimas trahit suas. Mulieres tamen, si corporibus laxis humidisque fuerint, maximè infestat. A plebeculâ plerumque incipit, dein, minus licet lethalis, ad primores pedetentim serpit. Qui alio morbo priore exhausti fuerint, eos plerumque tollit.—Viros quam mulieres et infantes senesque quam utrosque

citius interimit. Lactentes multo faciliùs evadunt.—Obesis, biliosis, stomachicis maximè pestifera.

Venena et ultra vires purgationes vel vomitiones Dysenteriam haud rarò concient.

Intestina, intestinisque proxima, vitiata, hunc sola morbum interdum excitant.—In eorum cadaveribus, qui Dysenteriâ periere, oculis inspicientium obvia sunt bilis profusio, inflammatio, abscessus, tumores ad schirroma carcinomaque tendentes. Utrum morbum haec antecesserint, eumque proritarint, an sint tantùm insecuta, an ad morbum item aliquid pertineant, inter Medicos nondum convenit. Inter ea, quae Dysenteriam progignunt, sudatio repentè repressa, acrium mutatio humorum, aquarum insalubritas, constrictio coli spastica, vulgò adnumerantur. An sudatio, quae citiùs justo compescitur, pro morbi causa, effectuve habenda sit, difficile dictu foret: verumtamen et humorum mutatio et aqua insalubris causae nimis

generales sunt, forsitan et hypothesi nimis sustentatae, quae origo Dysenteriae habeantur; dum coli constrictio partem signorum tantùm explicat; reliquorum explanationi penitùs adversatur. Unde stercus retinetur vel *scybalorum* figuram adipiscitur, satis explicat; tamen quae hunc morbum expellunt, ea ad *spasmata* facere, nemo est qui pro vero affirmet. Omnium causarum, quae huc mortales adigant, nulla perindè valida ac Dysenteriae prioris reliquiae videntur: intestina enim actionem, quâ Dysenteria constat, diu retinebunt, nec istiusmodi actio ad vitae finem usque quosdam relinquet.—Dysenteriam castrensem febresque intermittentes, aliam alio more, iisdem de causis ortas, credere non dubitamus; idque indubitantiùs, quòd febricitare vulgò incipiunt milites antequam Dysenteria conquievit; quòd altera in alteram saepe abit; quòd cum plurimi frigus autumnale simul subierint, pars in Dysenteriam incident, alii in febres remitten-

tes, multi in morbum qui ex utrâque compositus videtur; quòd prima eorum indicia assimilia sunt; quòd febres et remittens se, et intermittens, quum passim saeviunt, nomenque *Epidemicae* tùm habent inditum, in Dysenteriam non raró abeunt.

Putrescente ex acrimoniâ videtur Dysenteria oriri; quòd per tempestates calidiores humidioresque frequentior, quandò omnes carnes in putrorem maximè sunt opportunae; quôd in pauperes, qui aerem saepè impurum spirantes, cibo vescentes insalubri, sordibusque obvoluti, ejusmodi morbis obnoxii sunt, praecipuè ingruat; quòd noxa per aegrotantium stercus ferè semper propagatur; quòd anni muscis, erucis, insectis maximè profluentes, Dysenteriae longè notabiliores sunt.

Non dubium quin Dysenteria ex causis specie diversis, re ipsâ iisdem, oriatur: Hinc ex acrimoniâ intrinsecus generatâ, hinc veró

ex contagionibus extrinsecùs allatis. Contagiones istae fermentescentes ferè haud aliter, ac quae intùs morbum tardiùs excitent, ad eosdem perducunt exitus.

Primum omnium lactes imprimis affici videntur; humida corporis vitia, loca inferiora petentia, in colon et rectum descendunt, inibi residunt, vitiantur magìs magìsque in horas; putredo sine fine procedit, adeò ut ipsum colon rectumque et partes circumjacentes inflammatione tentantur, denique et alienantur.—Hinc praecipua sedes morbi ibi constituitur.

Dejectionum crebritas, naturaeque illius, quae aegrum desidendi cupidine exstimulat, constantia, vim intestinorum insitam, quasi igneo quodam motu micantem, motum peristalticum celerari indicat; tamen fibrae debilitate adeo laxae, contrahere se non poterunt, ideoque expellendi vis ad summam minus erit valida. Hanc opinionem corrobo-

rant *scybala.* Ut per diaetam, quâ aliud tam elutius vix potuit conspici, vel tam frequentes per exinanitiones, figurarentur, mihi in animum, ut credam, non possum inducere. A morbi igitur initio exstitisse ea, et donec priorem intestina consuetudinem satis recuperassent, retenta fuisse, mihi verisimilius videtur; quae tamen nisi a convalescentibus idcirco non excernuntur. Interdum inter excernendum rursus irritant, et tenesmum, perinde ac quondam fuit, aequè gravem reddunt.

Tunica intestinorum villosa, diu durante Dysenteriâ, fere ex toto absumitur, quorum reliqua pars ex inflammatione crassescit; et coli rugae cellaeque, ligamentis cedentibus, deperduntur. Sic aegrum assiduè infestat Diarrhoea.

Sanguinem primitùs, quibusdam venulis crebro dejiciendi nisu ruptis, extremae, forsitan recti, partes exsudant, postea vero sanguinis profluvium, tunicâ villosa ablata, a

colo rectove ubique oriri potest, qui etiam naturâ ad putrorem maximè proclivis, morbum magna ex parte fortè praegravat.

Quidquid more membranularum excernitur, id nihil aliud esse quam tunica villosa diu putabatur; mihi tamen Mosgagni explicatio magis arridet. Is sanguinis esse lympham et intestinorum mucum, parte rariore a vasis absorbentibus assumptâ, satis probat.

Dysenteria, Sydenhamo narratore, annum millesimum sexcentesimum sexagesimum nonum, diu saeviens, intestina gradatim infima petens, vitia tandem morbida, prout caetera ad integritatem rediissent, in rectum deposuit. Hinc tenesmus ubi nihil nisi mucus cruore interstinctus excernitur. Caeterum Anatomici recentiores innumera variis magnitudinibus tubercula in superficie crassorum intestinorum interiore, coli praecipuè scilicet, forsitan inter tunicas musculosam et villosam, sita, sine ullâ controversiâ, re-

perierunt. Haec tubercula variolae pustulas, sed humoris expertes, simulant. Intestina crassa, in quorundam cadaveribus, quasi ulcera schirrive ex toto essent, interdum sunt reperta; colon, puta, ipsum ad crassitudinem digitorum singulûm, binorumve exulceratum.

Singultus, morbo incipiente, innocuus;—inveterascente, fere semper lethalis.—Ille vermes, hic intestinorum putredinem indicat.—Partium extremarum frigus, pulsus arteriarum exiguus et inaequalis, doloris sitisque requies, paucis ante mortem diebus, corrupta esse intestina praemonstrant. Delirium paucis ante exitum horis interdum supervenit. Vomitus periculosus est.—Dysenteria a nauseâ vomitionibus comitatâ incipiens, plerumque lethifera habetur. Si qui initio morbi vomunt, periclitantur. Lethalia etiam ducimus linguae inflammationem, maculas lividas atrasque; cruoris purisve vomitionem; convulsiones; arteriarum

pulsationes debiles, tremulas, varias. Pulsus, qui intermittitur, indicium mortis paucis post diebus futurae, esse dicitur, etiamsi ad pristinum motum postea redeat, calorque assuetus revertatur. Doloris requies, dum mali odoris sunt dejectiones, saniosae, et inscio aegro emissae, unà cum arteriarum pulsu tremulo et vario, mortis properè appropinquantis praesagium est. Dejectiones sine voluntate, nisi cum aeger per morbum delirat, lethales sunt.—Difficultas in urinâ reddendâ, initio morbi quam in fine plus mali portendit.

Dysenteria vires intestinorum insitas debilitat, discutit, dissipat, ad morbumque eundem pronos postea reddit. Intestina, priore Dysenteriâ praeteritâ, spoliata affectaque sunt inflammatione.—Quidquid vasa et viscera caetera naturaliter continent, id exinanitur; inde Atrophia, Macies, Debilitas, Hydrops, praesertim Anasarca;—partium solidarum laxitas, amissio fluidarum;

interaneorum ulceratio, totiusque abdominis dolor.

Nil nunc restat nisi de curatione pauca dicere.

Medico, qui sapit et intelligit, hîc multa debita erunt;—Morbi principiis occurrendum; morae enim omnia in pejus trahunt. Nunc Natura demum, provinciam penitus negligere suam, nec, quo unam perniciem quamque expellat, amplius curare, nec vires usitatas exercere videtur; indiciis decipit fallacibus; magis magisque in dies in deteriora ruit. Mala dysenterica medico solerti lenienda aut amovenda sunt, et multum metuo, ne non animus, qui alienum tanquam suum tuetur, diversas curandi methodos contrariasque, ad quas Medici antehac confugerunt, tranquillè placidèque contemplare queat.—Curationes inter se discordes in hujusmodi morbis vix salutares, nedum innocuae esse possunt; nec Natura ipsa huic et

illi, nullo discrimine, ex aequo favet.—Dysenteria, quatenus ad curationem spectes, quadripartitò est consideranda.

1. Num recens sit morbus?

2. Num vires multum debilitatae sint?—An ingenita intestinorum vis infirmata et tunica decorticata villosa?

3. An malis accessit dysentericis febris maligna ex lue intus nocente, aut castrorum, vel navium longarum, vel nosocomii, similiumve locorum inquinamentis extrà laedentibus exorta?

4. Num convalescat aeger?

Si Morbus sit recens, multum curae, aëri puro, munditiei, vestitui, sanguinis missioni, victui, remediisque quae vomitum cient, quae humores crassescentes attenuant, quae morbum somno sublevant, quae sudores eliciunt, at iis praesertim quae alvum liquant, impendendum est.

Mundities, aër purus, amotio stercoris

praesentanea, vestimenta mollia et foventia, sive lenis sit morbus sive gravis, sive tantum incipiat, sive inveteraverit, perquam necessaria sunt et non negligenda.

Morbus interdum medicaminum attenuantium usu, aliis fortasse remediis multo facilius cedat. Attenuant enim aqua pura et egelida; oryzae ptisana; hordeaceum decoctum; succus et chamaemeli et lini seminis in aqua macerati.—Sydenhamus liquores attenuantes largiri solebat; nec aliter in Cholerâ ac in Dysenteriâ talia adhibebat medicamina.

Vitanda sunt salsamenta; aromata; cibi ad acorem proclives; potus inebriaturi; vina austera et astrictoria.—Vina et cardiaca, nisi ubi morbus inveteraverit, non assumi debent.—Cibus simplex et lenis, lac bubulum, fructusque maturi ad salutem conducunt.

In Dysenteriâ sanguinem, ni inflammationis suspicio sit, non oportet mitti.—Sunt

tamen quae, nisi sanguinem mittas, non facilè sanantur. Multos sanguine aliquantum exhaustos postea hydropicos fieri, meminisse debet.—Hoc metuens, simulque proverbii sermone satis triti "Bonum Medicum sanguinis parcum esse" haudquaquam oblitus, non temerè adducerer, ut venam inciderem. —Verum detractionem aliquando profuisse, vel ubi aegri multum infirmati fuerint, exempla, quae probant, non omnino deficiunt. Dolores etiam tanquam dysenterici, morbo ipso amoto, aegris per aliquot annos haerentes, sanguine identidem misso, acquieverunt. —Dysenteriae hiberna vernaque multo tutiùs, quia plus inflammationis habent, quam autumnalis sanguinis imminutionem pati dicuntur.—In Dysenteriâ quae Noviomagi per annum millesimum septingentesimum trigesimum sextum crudelissimè saeviit, sanguinem nunquam misit Degner.—Missioni, inquit, sanguinis vomitus morsque supervenerant.—Forsan et Galeni interdictum a ve-

ro non longè aberrat: Fluente alvo, sanguinem non detrahes; nam si post detractionem perseveret fluor, vires prosternit.

Sydenhamus post sanguinem detractum Ipecacuanhâ vomitum concitabat, quae aegritudinem submoveret. Cujus efficaciam quantitati bilis, quae vomitando ejiciebatur, magis referendam putabat, eamque quum etiam alvum liquavisset, multo efficaciorem fuisse, idem tradit. Et vomitus et alvi ductio certius efficiebatur, si grana quinque Ipecacuanhae, bis terve singulis diebus, usquedum alterutra excitaretur, dabantur.—Id fieri solebat, quando grana quindecim assumpta erant; et grana quindecim, eo pacto adhibita, materiae vitiosae longè plus, quam grana triginta semel simulque assumpta, ejiciebant. Etsi hanc rationem secutus, praesertim si potio vomitoria, aliquot diebus interjectis, iterumque iterumque fuerit assumpta, perquam fortunatus fuit:—tamen propter immanem aegritudinem, quae vo-

mitionem purgationemve usitatè comitabatur, haec remedia deseruit; quanquam in summâ certissima censebat.—Ipecacuanham meram uno alterove Tartritis Antimonii grano cum uno Ipecacuanhae scrupulo commisto posthabuit, propterea quod haec mistura efficacior fuit, bilemque copiosius exantlavit.—Postea verò in loco vel Ipecacuanhae vel Tartritis Antimonii Vitrum Antimonii Ceratum praecipue substituit, eique fidere nihil dubitavit.—Quas vero cunque commoditates vomitoriis medicamentis attribues, easdem, ni fallor, tutiores et certiores in remediis alvum ducentibus reperies.

In Dysenteriâ sanandâ remediis catharticis est imprimis fidendum. Pringlius post sanguinem missum vomitumque, potionem ventrem soluturam vulgò dabat; illudque remedium altero tertiove quoque die, vel uti symptomata postulabant, repetebat. His vero modis, medicamenti necessitatem repetendi potiùs a torminum tenesmique pertinaciâ

quam de cruentis dejectionibus pendere ratus, dysentericorum sanationem plerumque moliebatur. Nec aliter Sydenhamus:—et anodynum, ut vis cathartica quievit, praeterea ministrabat. Haud secus ac Sydenhamus, curabant Degner et Huxhas.—Scammonia, aloë et medicamenta resinosa, quòd angores exaugeant, quae pro remediis purgantibus sumantur, parum idonea sunt. Rheum palmatum in fine quam in morbi initio melius est. Laudatiora sunt sales medii, oleum ricini communis, senna, manna. Hydrargyrus calidis in regionibus saepe dysentericis et multum profuisse dicitur.

Sydenhamus medicamentum somnificum ferè semper ductam post alvum dormituro noctu dedit: quod si alvo ter purgatâ non decessit morbus, et manè et vesperi, donec ad integritatem reditum sit, anodynum quotidie dedit; etiam si gravis admodum fuerit morbus, triginta opii tincturae guttas, ter die, interjecto aequali temporis spatio, adhibuit;

ad hoc, lac theriacamque contrita, clystere per anum quotidie intromisit. Nihil ex anodynis tam copiosè largitis, quamvis perdiu repetitis, incommodi unquam reperit. Medicamina ex opio confecta, antequam primae viae ex toto fuerint purgatae, adhibita, multum nocere, a Pringlio animadversum. Ejusmodi medicamenta improbat Degner. Malum morbosum, ut idem vult, anodyna obstruunt, efficiuntque ut pericula vehementius redintegrantur; inflammationem quoque intestinorum excitant caputque opprimunt. Tissos etiam nimium maturum anodynorum astringentiumque usum apertè planèque condemnat. Si stercus, judice eodem, retentum habeas, sisque habiturus, ac pastor, qui lupum ovili includat, perinde agas. Quibus ex rebus judicari potest anodyna, intestinis sorde dolentibus, perniciosa; sordibus vero expulsis, saluberrima esse videri.—Opium clysteribus mixtum haud raro mirificè prodest.

Sydenhamus sudores per tempora pestis, a vestimentis dormitoriis satis ampliter cumulatis multum profecisse nactus, ut eandem in Dysenteriâ rationem, idque magno cum beneficio tentaret, adducebatur. Quae medicamenta sudores eliciunt, ea inutilia reperit Degner. Hodiernus medicus Mosleius talia medicamenta quasi *specifica* in Dysenteriâ putat:—ceterum fides ejus rei penes auctorem erit.—Tepidarium dysentericis mirificè prodest; idcirco quoque abdomen anusque foveri, alvus etiam lotionibus emollientibus duci debet.

II. Vires si multum infirmatae sunt, si nativus intestinorum vigor fractus et tunica villosa abrasa, vix est ut opitulari possit medicus. Praeter cardiaca, munditiem, vestes laneas molles et lanuginosas, calida alvi fomenta, lotiones emollientes ex opio et amylo confectas, ciborumque sollicitudinem, abdo-

minis fasciis involutionem, vix erit aliud quod aegris proderit.

III. Si contagio intùs extràve saeviens, malignam febrem cum Dysenteriâ conjunctam concitaverit, illa quidem summam sibi curam vindicabit. Mundities maximè omnium, quò aeger convalescat, quò etiam vicini protegantur, colenda est.—Febris dysentericorum castrensis in remittentem saepè abit; cujus sanationem cinchona plurimùm promovet.

IV. Si aeger convalescat, quales cibos assumpserit, quam cautè potest, circumspicere debet: quoniam minimùm irritationis morbum reducere possit. Vestes molles et foventes ei inducendae sunt, et vitanda frigus, lassitudo, vehementes animi affectus, purgationes, medicamina debilitantia.—Hydrops igitur si, ut saepe fit, Dysenteriae succedat,

remediis urinam cientibus, non alvum liquantibus curanda est.—Denique exercitatione modica uti, cibosque validiores assumere convalescentem oportebit.

FINIS.

EDINBURGI,
Excudebant J. BALLANTYNE et SOCII.